

HOLY SEE PRESS OFFICE  
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE  
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLIS

# BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 170624b

Saturday 24.06.2017

**Letter of the Holy Father to the special envoy to the celebration of the 650th anniversary of the arrival in the Shrine of Trsat, Croatia, of the image of the Blessed Virgin Mary donated by Pope Urban V to Croat pilgrims in Loreto in 1367 (Trsat, archdiocese of Rijeka, 1 July 2017)**

On 29 April 2017, the Holy Father Francis appointed His Eminence Cardinal Josip Bozanić, archbishop of Zagabria, as his special envoy at the celebration of the 650th anniversary of the arrival in the Shrine of Trsat, Croatia, of the image of the Blessed Virgin Mary donated by Pope Urban V to Croat pilgrims in Loreto in 1367, to be held on 1 July 2017.

The mission accompanying the Cardinal will be composed of:

1. Rev. Msgr. Nikola Imbrišak, chancellor of the archdiocese of Rijeka and penitentiary canon of the Cathedral;
2. Rev. Fra Antun Jesenović, O.F.M., guardian of the Convent of Trsat and Custodian of the Shrine.

The following is the Letter of the Holy Father to His Eminence Cardinal Bozanić:

## **Letter of the Holy Father**

*Venerabili Fratri Nostro*

*IOSEPHO S.R.E. Cardinali BOZANIĆ*

*Archiepiscopo Metropolitae Zagrebiensi*

Sancta Dei Genetrix Virgo Maria, Mater Iesu Christi, cuius ipse Infans divinus beata ubera suxit (cfr Lc 11,27), eadem per saecula *nutrivit et usque nutrit omnes sanctos suis uberibus tam plenis puro et immaculato lacte verae ac redundantis misericordiae* (cfr Mathildis de Magdeburgo, *Fluens lumen divinitatis* 1,22). Merito ergo

primus inter Slavos catholicus populus Croatus, Christo eiusque Ecclesiae semper fidelis, filiali devotione colit inclitam Redemptoris Matrem, Advocatam fidelissimam Croatiae, quae tanta sollicitudine hunc populum custodit.

Tempore quidem quo Decessor Noster beatus Urbanus V, de Avenione redux Lauretum anno MCCCLXVII pie invisit, peregrinis ibidem obvenit Croatis, quorum fide valde permotus, suapte sponte venustam Deiparae imaginem eis donavit, ut Matris amabilis consolantem ac iuvantem praesentiam experirentur. Quae inde ab eis magna cum veneratione Tersatum allata est, ubi Lauretana Domus antea posita esse refertur.

Quamobrem et Nos toto corde cupimus comitari peregrinos, qui celebre petunt et antiquum archidioecesis Fluminensis sanctuarium Immaculatam Virginem Mariam ibidem pientissime veneraturi. Cum vero noverimus hoc anno sescentessimam et quinquagesimam incidere anniversariam memoriam illius diei quo memorata Dei Genetricis imago in Tersatense Sanctuarium pervenit, libenter accepimus postulatam Venerabilis Fratris Ioannis Devčić, Archiepiscopi Metropolitae Fluminensis, ut Patrem Purpuratum ad singularem hanc celebritatem mitteremus maiore splendore, devotione animarumque lucro agendam.

Te igitur, Venerabilis Frater Noster, quem scimus prudentia et meritis onustum nec non Croatiae Nationis, Apostolicae Sedis totiusque Ecclesiae Catholicae per annos assiduum fidelem Ministrum, designare statuimus qui apud communitatem illam, Nobis carissimam, personam Nostram geras. Quapropter his Litteris **Nostrum Missum Extraordinarium** te nominamus ad sollemnem iubilaei celebrationem in sanctuario Dei Matris quod diximus die I proximi mensis Iulii peragendam.

Liturgicis celebrationibus Nostro nomine praesidebis fidelesque ibi adstantes ferventer hortaberis ad Christum perseveranter sequendum Eiusque suavem Matrem pie venerandam, sicut his in regionibus mos est idemque ab antiquo servatur. Insuper salutationem Nostram transmittes etiam aliarum confessionum christianarum aesseclis necnon adstantibus civilibus auctoritatibus.

Praeteriti temporis laudans plebis tuae de catholica fide et Mariali cultu strenua testimonia, omnes invitabis ad maiorum servandam spiritualem hereditatem filiisque proinde diligenter tradendam, valide sane intercedentibus sancto Nicolao Tavelić, beato Aloisio Stepinac ceterisque sanctis et beatis vestrae nobilis Nationis, ac potissimum Beatissima Deipara Virgine Maria, *in qua fuit et est omnis plenitudo gratiae et omne bonum* (S. Franciscus Assisiensis, *Salutatio Beatae Mariae Virginis* 3).

Benedictionem demum Apostolicam, caelestis gratiae nuntiam et propensae Nostrae voluntatis testem Tibi imprimis elargimur, Venerabilis Frater Noster, quam nomine Nostro cum omnibus hunc memorabilem eventum participantibus peramanter communicates volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die III mensis Iunii, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS

---